



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput IX. Idem (a) Vigiliensi Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

## CAPUT IX.

Idem (a) *Vigiliensi Episcopo.*

Quia nos tua duxit prudentia consulendos, utrum clerici de mobilibus, vel immobilibus possint condere testamentum, consultationi tuæ taliter respondemus, quod licet de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum suorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerit ad ipsos, liberè disponere valeant; de his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ suæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum.

## NOTÆ.

(a) *Vigiliensi.* ] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 6. & post Concilium Lateran. p. 29. cap. 5. Vigilia urbs est Episcopatus

lis Italice, cujus Præful Maurus dictus martyrium subiit sub Trojano, ut refert Carolus à Sancto Paulo lib. 1. *Geograph. sacr. fol. 59.* & notavi in c. 2. de *etate & qualitat.* Commentarium hujus textus dedi supra in cap. cum in officio 7.

## CAPUT X.

Idem Ubaldo (a) *Ostiensis Episcopo, & Archiepiscopo & Canonicis Velletran.*

Cum esses, frater Episcope, in nostra præsentia constitutus, diligenti nobis narratione proposuisti, talem in tuo Episcopatu consuetudinem inolevisse, quod testamenta quæ fiunt in ultima voluntate ab iis, qui potestatem habent super alios, penitus rescinduntur, nisi cum subscriptione VII. aut V. testium fiant, secundum quod humanæ leges decernunt. Quia verò à (b) divina lege, & Sanctorum Patrum statutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine id esse noscitur alienum, cum scriptum sit: In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum; præscriptam consuetudinem penitus improbamus, & testamenta, quæ parochiani vestri coram Presbytero suo, & tribus, vel duobus aliis idoneis personis in extrema voluntate de cætero fecerint, firma decernimus permanere, & robur obtinere perpetuæ firmitatis, sub interminatione anathematis prohibentes, ne quis præsumptione qualibet hujusmodi audeat rescindere testamenta.

## NOTÆ.

(a) *Ostiensis.* ] In prima collectione, sub hoc tit. capite 9. ita legitur: Idem Ubaldo *Hostiensis Episcopo, & Archiepisc. & Canonicis Velletran.* post Concilium verò Lateran. in appendice, part. 5. capite 20. ita habetur: Idem Ubaldo Episcopo *Hostiensis, & Archiepisc. & canonicis Velletran.* sed ubique malè; legendum enim est: Idem Humbaldo *Hostiensis Episcopo, Archiepisc. & Canonicis Velletran.* quæ correctio facillè suadet ex eo; nam temporibus Alexandri III. Humbaldus in rebus gerendis vir solertissimus regebat Ecclesiam Hostiensem, & Cardinalis creatus Legatus missus fuit in Angliam ad causam D. Thomæ Cantuar. ut refert Baronius tom. 12. anno 1167. & 1168. & tandem defuncto Alexandro III. Kalend. Septembris, anno 1181. ejus successor creatus fuit, dictusque Lucius III. ut refert Baronius ubi supra; Ughellius tom. 1. *Italia sacra, fol. 82. numero 41.* Ludovicus à Sancto D. D. Goyzal. in *Decretal. Tom. III. Pars I.*

cto Carolo in *Biblioth. Pontific. in Lucio III.* & ita Humbaldo, non Hubaldo, legendum est: deinde non *Archiepiscopo*, sed *Archiepisc. & Canonicis Velletran.* legendum credo; quia Ecclesia Velletrana nunquam fuit Metropolis, sed tantum Cathedra Episcopali decorata; & scribitur tantum, *Archiepisc. & canonicis*, quia jam à temporibus Eugenii III. per annum 1153. unita erat Velletrana Ecclesia cum Hostiensis, ut referunt Baronius dicto anno 1153. Ughellius dicto tom. 1. *Italia, fol. 58.* qui Humbaldum, de quo in præsentibus, refert inter Episcopos Hostienses, simul & Velletranes. De Hostiensis Ecclesia nonnulla notavi in capite 3. de *postul. Pralat.*

(b) *Divina lege.* ] Non quia adit aliquod præceptum divinum circa numerum testium, sed ut duo tantum, aut tres adhibeantur, ut probavi in capite licet 23. de *testibus.* Nec Alexander in præsentibus leges humanas majorem numerum testium in testamentis, & aliis similibus actibus desiderantes, quæ apud omnes

Sf ferè